

Berchtold Haller¹⁾ an Vadian.*(Bern.) 1534. Juli 3.*

In Bern freut man sich über den Erfolg der Herzoge (von Württemberg). Fortdauernder Streit in der Abendmahlslehre. Gerücht über eine bevorstehende Disputation mit Papisten und Lutheranern in Württemberg. Bemühungen Bucers für eine Einigung. Unversöhnlichkeit Luthers. Ermahnungen zur Wachsamkeit. Bitte an Vadian, ihm kurz mitzuteilen, warum der Rat von Bern einen Boten nach St. Gallen sende. Er hat von Sebastian Appenzeller vernommen, dass Vadian seine Schrift (die Epitome) vollendet.

Gratiam, pacem et vitę innocentiam a domino. Cum Sebastianus ille Abbazellanus suum ad vos diutius procrastinaret reditum senatusque noster tabellionem mitteret, nolui, ut is vacuus te inviseret, tametsi te dignum nihil habeam, quod scribam, omniaque, quę veluti nova cir-

cumferuntur hinc inde^{a)}, apud vos longe sint certiora quam apud nos. Ea tamen, quę nunc me maxime urgent, in sinum tuum quoque effundam. Successui ducum nemo non congratulatur apud nos, paucissimique sunt, quibus etsi doleat, tamen sibi ipsis doleant oportet. Interea audimus, quattuor esse apud eos contionatores^{b)} Lutheranos, qui, quotquot in Helvetiis Christum prædicant, fratres dedignantur agnoscere. Hi nimirum sugillabunt cum Luthero, Brentzio, toto Saxone, principibus, ne nostram de eucharistia veritatem admittant. Quid hic futurum credideris quam dissidium exitiale tam ecclesiarum quam totius Germanię? Ex nostris unus, his diebus totam ferme Wirtenbergam perambulans, hunc — et certo — rumorem circumferri retulit: pacato bello disputationem futuram cum papistis et Lutheranis in Wirtenberga. Iam ipse experientia apud nos perspectum olim habuisti, ubi ecclesię non antea fuerint eruditę et solidissime edoctę, plus offensas iri contentionibus illis quam erudiri. Nobis igitur cum summa ducum fortuna et victoria summum videtur imminere periculum. Laboravit aliquot iam annis Bucerus pro concordia; quam cum non impetraverit ad eam rem felicissimus^{c)}, quid spei nobis reliquum? Gaudebit nimirum Lutherus, ansam iam sibi datam extirpandi^{d)} et confundendi ac invehendi in nos. Connivebunt principes propter Saxonem, etiam aliter edocti et sentientes in cordibus eorum. Hoc unum igitur, cum te latere nollem, obsecro, perpendas et advertas, immo, quod facile poteris, per tuos percontari studeas, ne improvise adobrutis nostris ecclesiis et veritati incommodemus, cogitans, quibus possimus tanto malo occurrere. Scio, Luteranos (!) ad ravim usque aures principum occupare; nam et Otherus noster ex Esslinga id monuit. Monui huius et ego Bucerum, Bullingerum, nec monere quosque cessabo. Ceterum^{e)} cur ad vos mittatur tabellio noster cum nesciam, tu vel uno verbo subindica. Vereor, ne aliena fortuna freti nobis omne malum cieamus (!). Vale valeantque ecclesię tuę ministri et pii quique. Libellum tuum extorsissem iam denuo; sed audio a Sebastiano, te absolvisse. Rursum vale. 3. Iulii, anno 34.

Tuus, quantuluscunque est, *Berchtoldus Hallerus*.

D. Ioachimo Vadiano, eximię pietatis, prudentię et eruditionis viro, apud S. Gallenses consuli, maiori suo cum primis observando.

a) „hincinde“. — b) „conc.“. — c) „fcl.“. — d) „ext.“. — e) „Cęt.“.

f) Vgl. III, Brief 434.